



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1678

Examen judiciale fratris Francisci de Esculo ordinis Minorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14688

minus Andreas de Florentia magister Regis Franciæ mutuavit dicto Massilio pecuniam, tamen nefcit summam.

Interrogatus si prædicti mutuaverunt dictas pecunias memorato Massilio in recessu suo, videlicet de Parisius in Alamanniam, dixit quòd non credit, sed bene per unum vel duos menses ante recessum prædictum fuit factum dictum mutuum.

Item interrogatus quomodo sciebat prædicta, dixit quòd pro eo quia ea dici audiverat à dictis mutantibus; qui dum sciverunt recessum ipsius Massilii, conquerebantur de ipso, ac eundem publicè de prædictis receptis per eum mutuò pecuniis difamabant.

Examen judiciale fratris Francisci de Esculo ordinis Minorum.

Die Martis sexta mensis Februarij exhibita per fratrem Franciscum.

FRATER Franciscus de Esculo ordinis Minorum constitutus in præsentia Reverendi Patris Domini Sabinensis Episcopi ad respondendum quibusdam articulis infra scriptis per eundem Reverendum Patrem & Dominum Sabinensem Episcopum sibi traditis respondet, præmissa & repetita potestatione per eum aliàs facta, scilicet quòd omnia dicta sua supponit correctioni & determinationi Domini nostri Summi Pontificis & apostolicæ sedis.

An. 1341.

Ad primum articulum, qui noscitur esse talis, quòd dicere & asserere quòd Christus viam perfectionis ostendens, & Apostoli eandem viam per-

fectionis sequentes atque per exemplum in alios volentes perfectè vivere derivantes, nihil jure proprietatis, domini, seu juris proprii in speciali vel in communi habuerint, non est hæreticum, sed sanum, catholicum, & fidele, responderet frater Franciscus quòd dicere & asserere quòd Christus viam perfectionis ostendens, & Apostoli eandem viam perfectionis sequentes atque per exemplum in alios volentes perfectè vivere derivantes, nihil jure proprietatis, domini scilicet temporalis, seu juris proprii, id est, juris proprietatis in speciali vel in communi habuerunt, non est hæreticum, sed sanum, catholicum, & fidele, prout in responsione & declaratione ad litteram missam Perpinianum & in responsione etiam ad libellum facta plenariè & multipliciter est ostensum, hoc tantummodo addens, quòd prædicta conclusio per Dominum Nicolaum Papam III. declarata, & per nonnullos alios Romanos Pontifices approbata, & in corpore juris per sedem apostolicam clausa, nunquam fuit expressè per sedem apostolicam sicut non catholica & hæretica revocata, sed potius sicut catholica & sana confirmata: quoniam ipse etiam Dominus Iohannes Papa XXII, de quo magis alicui videretur, nunquam ipsam sicut non catholicam & hæreticam expressè revocavit, sed potius confirmavit; prout patet in sua constitutione *Quorundam exigit*, in qua declarationem prædicti Domini Nicolai III. notabiliter commendavit, & in constitutione *Quia quorundam mentes*, in qua prædictam diffinitionem Domini Nicolai expressè conatus est per totum cum sua diffinitione concordare & non discordare.

Ad secundum articulum, qui talis est, quòd dicere & asserere quòd usus rerum usu consumptibilium possit à proprietate & dominio separari non

est hæreticum dicere, sed qui asserit contrarium, potius doctrinæ catholicæ & sanctæ matris Ecclesiæ & professioni ordinis sancti Francisci manifestè adversatur & hæreticat atque errat, respondet frater Franciscus, quantum ad primam partem dicti articuli, scilicet quòd dicere & asserere usum rerum usu consumptibilium posse à proprietate & dominio scilicet temporali separari, non est hæreticum, sed catholicum; quoniam talis assertio consonat rationi, attestatur sacræ scripturæ & sanctorum doctrinæ, & multiplici Ecclesiæ auctoritate munitur & roboratur, prout continetur apertè & plenè in responsione & declaratione ad litteram missam Perpinianum & in responsione etiam ad libellum. hoc solum pro nunc replicans & explicans, quòd diffinitiones Summorum Pontificum in illa responsione ad hunc articulum adductæ nunquam fuerunt nec sunt alicubi per sedem apostolicam revocatæ, sed potius confirmatæ. Nec etiam ipse Dominus Iohannes XXII, de quo fortè alicui magis videretur, eas alicubi, quod appareat, reperitur expressè revocasse, sed potius confirmasse. Quod patet ex hoc quòd in constitutione sua *Ad conditorem* & in constitutione *Quia quorundam* & in libello * *Quia vir reprobus* nonnullas dictorum Pontificum diffinitiones hunc articulum tangentes adducit & cum sua constitutione concordare nititur & in nullo repugnare. Et etiam quia constitutio Domini Clementis V. in qua diffinitiones suorum prædecessorum hunc articulum declarantes approbantur & confirmantur, est inter constitutiones generalis Concilii Viennæ celebrati, & sub nomine ac titulo generalis Concilii inserta, & à Doctores Vniuersitatum legitur & exponitur, non sicut abolita & cancellata, sed potius sicut approbata & confirmata. Quod nullo modo credendum est

* Libellus ille extat apud Goldastum in to. 2. Monarchiaz pag. 993. & seqq.

Ibid: p. 1070.

quod fieret si esset revocata. Quare prædicta conclusio credenda est esse vera. Item quod usus rerum usu consumptibilium possit à proprietate & temporali dominio separari patet per ipsum etiam Dominum Iohannem XXII. qui in libello *Quia in reprobis*, respondendo ad quandam objectionem, dicit sic: *Ad illud autem quod dicit quod abdicatio proprietatis & dominij sollicitudinem excludit, dicimus quod est falsum. Et quod talis abdicatio non excludat sollicitudinem patet. Constat enim quod si dominus servo concederet peculium, quamquam proprietatis seu dominium peculij in servum non cadat, non propterea servus à sollicitudine est immunis. Alias injustè reprehendisset Dominus servum negligentem de quo agitur Luca x 1 x. quia pecuniam a domino sibi traditam non tradidit ad usuras.* Hæc ibi. Ex quibus aperte patet, secundum Dominum Iohannem, quod dominium pecuniæ, quæ inter res usu consumptibiles numeratur, non cadit in servum, licet usus pecuniæ cadat in ipsum: quia volens ostendere & probare quod peculium rei absque proprietate & dominio concessum à domino servo sollicitudinem non excludat, ponit exemplum & specialiter exemplificat de servo qui pecuniam sibi à domino traditam ad usuras non tradiderat. Quare expresse sentire videtur quod usus pecuniæ sit ab eius dominio separabilis. Item aut omnes illi decem Summi Pontifices in præmissa responsione & declaratione nominati & numerati circa hunc articulum verè & catholicè diffinierunt & sanxerunt, aut falsè & erroneè. Si verè & catholicè, eorum diffinitio & declaratio manet penitus irrevocabilis & incommutabilis; quia quod semel fuit verum pro aliquo tempore, semper necesse est & erit fuisse verum pro illo tempore in illa materia: quia veritas rerum in præteritum transiens, ampliùs humana

-li milledij
 hunc textum
 si milledij
 -12004. 2. 0
 -12004. 2. 0
 -12004. 2. 0

nae non subjacet potestati. Vnde xxv. q. ii. c. Si
ea, & est decretum beati Gregorii, legitur & ha-
betur: *Si ea destruerem qua antecessores mei statue-
runt, non constructor sed everfor esse justè comproba-
rer, testante veritatis voce, qua ait: Omne regnum
in se ipsum divisum dosolabitur, & omnis scientia
& lex adversum se divisa destruetur.* Si autem,
quod absit, falsè & erroneè circa hunc articulum
diffinierunt & declaraverunt, & sedes apostolica à
tempore beati Francisci usque ad tempora ista circa
veritatem evangelii & vitam Christi & Apostolo-
rum erraverit & in errore continuo fuerit, pari jure
& modo seu ratione dicetur quòd sedes apostolica
in omnibus aliis diffinitionibus & determinationi-
bus evangelicæ veritatis errare & in continuo errore
esse potuerit. Immo pari modo & ratione dicetur
quòd sedes apostolica à tempore Apostolorum us-
que nunc errare & in continuo errore esse potuerit
in omnibus diffinitionibus & determinationibus e-
vangelicæ veritatis. Quod quàm sit absolum & in
Ecclesia Christi periculosum, qui legit intelligat.
Item si omnes illi Pontifices dicantur vel ponantur
in diffinitione præmissæ veritatis errasse, & ordo
beati Francisci, ab apostolica & universali Ecclesia
per evidentiam facti approbatus, prædictas diffi-
nitiones & declarationes dictorum Pontificum re-
cepit & communiter tenuit sicut catholicas & ve-
ras, sequitur quòd apostolica & universalis Ecclesia
approbaverit ordinem publicè & notoriè in errore
evangelii positum & constitutum. quod nonnulli vi-
deretur in unam sanctam catholicam & apostolicam
Ecclesiam impingere.

Item dicit frater Franciscus quòd quamvis Ro-
manus Pontifex quicumque unus in potestate juris-
dictionis habeat tantam auctoritatem decernendi
quantam habuerunt simul omnes sui prædecessores

aut etiam sui successores habituri sunt, tamen in re-
 stificatione catholice fidei & testimonio evangeli-
 cæ veritatis magis videtur esse standum dicto & te-
 stimonio multorum quàm dicto & testimonio unius
 solius, quando multi non minùs in scientia & fide
 ac moribus fulgere noscuntur quàm unus, secun-
 dum regulam à beato Augustino traditam in secun-
 do libro de doctrina Christiana, scilicet quòd in
 scripturis canonicis illæ quas plures gravioresque
 accipiunt præferendæ sunt in auctoritate illis quas
 pauciores minorisque gravitatis suscipiunt.

Dist. 19. c. 6.
 In canonicis.

Quantum autem ad secundam partem dicti arti-
 culi, scilicet *Sed qui contrarium asserit &c.* respon-
 det frater Franciscus quòd non videtur sibi quòd
 iste articulus sub ista forma contineatur in littera
 missa Perpinianum verbaliter nec sententialiter, li-
 cèt in illa littera contineri videatur quòd damnans
 sententialiter assertionem dicentium usum rerum usu
 consumptibilium posse à proprietate & dominio se-
 parari, sicut schismaticam & rebellem ac etiam con-
 tumacem, sit erroris seminator & auctor. Nec e-
 tiam illa verba in illa littera contenta, quòd asser-
 tio Domini Iohannis adversatur doctrinæ catholice
 & sanctæ matris Ecclesiæ & professioni sæpediti
 ordinis, & quantum in se est eam hæreticam, refe-
 runtur ad assertionem dicentis usum rerum usu con-
 sumptibilium non posse à proprietate & dominio
 separari, sed referuntur ad alia ejus dicta & scripta.
 Videbatur enim per ea quæ ibi narrantur quòd ipse
 dixisset & asseruisset assertionem dicentium Chri-
 stum & Apostolos viam perfectionis sequentes ab-
 dicasse proprietatem omnium rerum in speciali &
 in communi fore hæreticam & sicut hæreticam ju-
 dicandam. Quòd videbatur adversari doctrinæ ca-
 tholicæ & sanctæ matris Ecclesiæ & professioni sæ-
 pediti ordinis, ac eam, quantum in se est, hære-
 ticam

tunicam facere. Similiter in constitutione *Quia quorundam* videbatur damnasse assertionem dicentium usum rerum posse esse justum, meritorium, & Deo acceptum absque omni jure utendi litigioso & in judicio contentioso, sicut erroneam & impossibilem. Quod quidem videbatur adversari doctrinæ evangelicæ & sanctæ matris Ecclesiæ & professioni ordinis sæpediti. Quia, sicut legitur Matthæi quinto capite, qui vult tecum in judicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & paleum. Lucæ verò sexto capite legitur: *Qui aufert que tua sunt, ne repetas.* Quæ quidem verba Matthæi & Lucæ, qualitercunque intelligantur, sive quoad præparationem animi, sive quoad executionem operis exterioris, qualitercunque inquam intelligantur, semper tamen ex eis habetur quòd actus utendi rebus humanis potest esse justus & meritorius absque omni jure utendi contentioso & in judicio litigioso, cum Christi consilium non cadat super impossibile nec super aliquod erroneum. Quòd autem dicta constitutio *Quia quorundam* videretur prædictam assertionem damnare sicut impossibilem & erroneam apparet per illud quod in ea sic continetur ad litteram: *Rursus asseruisse dicuntur publice hujusmodi assertores quòd abdicatio juris in cuiuscunque rei proprietate & in usu eius est sancta & meritoria propter Deum, & à Christo in se ipso servata, Apostolis imposta, & ab ipsis sub voto assumpta, nec propter hoc usus facti ad sustentationem naturæ in Christo & Apostolis convincitur esse non justus, sed tanto justior atque perfectior, Deo acceptior, atque mundo exemplarior, quanto plenius renuntiatum fuerit omni juri per quod potest sic utens quomodolibet contendere vel in judicio litigare. Quæ quidem assertio continet multa falsa, cum neque Christum expropriationem prædictam omnis juris in cuiuscunque rei proprietate*

Et in usu ejus in se servasse, nec eam Apostolis im-
posuisse, nec sub voto ab Apostolis fuisse receptam;
evangelica seu apostolica doceat historia, sed contra-
rium evidentius premissis articulo dicitur. Et ea quæ
in dicta pronuntiatione seu dicto articulo continen-
tur, quatenus eum tangunt, quantum ad crimina
& scelera supradicta, negat esse vera, sed penitus
falsa, & à patre mendacii mendaciter & nequiter
fore conficta, sicut tota illa sententia, si sententia
dici debet, plena est mendaciis & abusionibus in-
finitis. Et non credit etiam frater Franciscus quod
prædicto ordini privilegia de quibus fit mentio in
prædicta pronuntiatione sint à sede apostolica in-
dulta. Et si dictus frater G. dicat præfatum ordinem
præfata privilegia habere, petit de illis sibi fieri co-
piam. Dicit etiam dictus frater Franciscus quod
præfato fratri G. non competit tempore pronun-
tiationis prædictæ cognoscere & pronuntiare de cau-
sa seu causis hæresis seu schismatis eo modo quo in
prædicta littera & prædicta pronuntiatione conti-
nerur. Dicit etiam prædictas pronuntiationem, de-
clarationem, condemnationem, seu sententiam, si
tamen taliter dici possunt, esse latis & pronuntiatas
perperam & juris ordine non servato & ex falsis &
nullis causis contra ipsum fratrem Franciscum non
citatum nec confessum nec convictum, absentem
& ignorantem, & ex prædictis & aliis causis suo
loco & tempore proponendis esse iniquas, erro-
neas, & nullas. Et petit ac instanter requirit quod
debeant, sicut in rei veritate sunt, erroneæ, iniquæ,
& nullæ pronuntari & sententialiter declarari, ne
ejus innocentia remaneat iniquè, erroneè, & men-
daciter apud fideles diffamata Christianos. Et ad de-
regendum hujusmodi errorem, iniquitatem, & nul-
litatem & defensionem facti & juris contra declara-
tionem, condemnationem, pronuntiationem, seu

sententiam prædictas proponendum & dandum & probandum, quatenus sibi incumbit, petit instanter se admitti.

Præmissa omnia & singula supponit & submittit frater Franciscus correctioni, emendationi, & determinationi Domini nostri Summi Pontificis Papæ Benedicti XII. & apostolicæ sedis, protestans quòd ea interpretari possit & declarare quotiens opus fuerit, & repetit ac vult pro expressis & repetitis haberi omnes potestiones per eum aliàs in suis responsionibus & declarationibus factas & habitas.

Ad alios articulos qui eliciuntur de littera condemnationis.

Ad alium articulum, qui noscitur esse talis. Item dixit & asseruit idem frater Franciscus quòd Imperator potest Papam deponere & depositum declarare ac omni gradu ecclesiastico privare.

Ad hunc articulum respondet frater Franciscus præmissa in dicto articulo contenta nullo modo fore vera, sed omnino falsa, & à patre mendacii mendaciter fore conficta.

Ad alium articulum, qui talis est. Item quòd clericis & populus urbis Romæ potest Papam deponere & depositum declarare.

Ad hunc articulum respondet frater Franciscus negando simpliciter præmissa fore vera, sed omnino falsissima, & à patre mendacii mendaciter fore conficta.

Ad alium articulum, qui talis est. Item quòd id quod adversus eundem Dominum Iohannem Papam XXII. in urbe prædicta per aliquos perditionis & diffidentiae filios de facto attentatum extitit, legitime gestum fuit:

Ad hunc articulum respondet frater Franciscus negando simpliciter fore verum, sed omnino falsissimum, & à patre mendacii mendaciter fore confictum.

Ad alium articulum, qui talis est. Item quòd constitutiones per Romanum Pontificem canonicè intrantem editæ de consilio sacri ac fidelis collegii Dominorum Cardinalium sunt hæreticæ.

Respondet frater Franciscus negando hoc fore verum, sed omnino falsum esse, cum ipse pro defensione constitutionum apostolicæ sedis animam suam exposuerit & eas ab omni labe hæresis purgare conatus fuerit, prout ejus dicta & scripta manifestè attestantur.

Ad articulum alium, qui talis est. Item quòd obedire illi cui universalis Ecclesia obedit est animam damnare & se hæreticum profiteri.

Respondet frater Franciscus hoc non fore verum, sed penitè falsum, cum ipse pro fide universalis Ecclesiæ & auctoritate apostolicæ sedis se multis periculis exposuerit, ut evidentia facti ostendit.

Præmissos hos quinque articulos dicit frater Franciscus quòd nunquam tenuit nec tenet. Et dato quòd frater Michaël ipsos scripserit, quod tamen ipse non credit, nihil ad eum, nec propterea ipse potuit aut debuit condemnari. Et si propterea condemnatus extitit, apparet ipsam condemnationem fuisse erroneam, iniquam, & nullam.

Ad alium articulum, quòd idem frater Franciscus adhæsit prædicto fratri Michaëli olim ordinis fratrum Minorum Ministro generali, ex quo depositus fuit & propter sua demerita ut hæreticus condemnatus, ac favit eidem, consilium, auxilium, favorem, & assensum præstitit eidem in prædictis & aliis multis quæ ipse scripsit & asseruit

contra Dominum Iohannem Papam XXII. propter
quæ ipsum hæreticum, scismaticum, & errantem,
ac deviantem à fide catholica iudicabant.

Respondet frater Franciscus quòd ipse nunquam
scivit fratrem Michaëlem fuisse propter sua deme-
rita sicut hæreticum condemnatum, & quòd nun-
quam ei tamquam hæretico scienter adhæsit, nec
favit, nec consilium vel auxilium præstitit in ali-
quo quod esset contra fidem catholicam vel evan-
gelicam veritatem, & quòd si appareat eundem fra-
trem Franciscum prædicto fratri Michaëli in aliqui-
bus favisse aut consilium vel auxilium & assensum
præstitisse, hoc non fecit dictus frater Franciscus
favens dicto fratri Michaëli in hæresi, sed tantum
pro directione & salute animæ seu conscientie ipsius
fratris Michaëlis. in quo casu licet etiam hæreticis
consulere & viam salutis ostendere. Et si ipse

Cetera desunt.

Vide Spondanum ad an. 1343. §. 3.

Fragmentum alterius scedulæ in eadem
causa fratris Francisci de Esculo.

Desunt nonnulla.

huius mundi & præsentis seculi transitum. Vtra-
que autem auctoritas adducta Danielis ad pro-
bandum Christum fuisse Regem & Dominum, po-
nit Christi regnum æternum & non habere finem.
Quare medium rationis ad probandum dictum ar-
ticulum videbatur consequenter tollere generalem
corporum resurrectionem & futurum iudicium ge-
nerale. Item declarando qualiter Christus, in quan-
tum Deus, habuit regnum & universale rerum do-
minium, videbatur ponere & concludere mundum

Apud Gol-
dast. to. 2.
Monarch.
pag. 1151.

fuisse ab æterno, in eo quòd hoc volendo declara-
re dicit sic in illo libello *Quia vir reprobus: Præ-*
missa autem, scilicet regnum & universale dominium,
habuit Iesus, in quantum Deus, ab æterno, eo ipso
quòd Deus pater genuit eum, & in quantum homo ex
tempore, scilicet ab instanti conceptionis sue, ex Dei
datione. Hæc ibi. Ex quibus videbatur posuisse con-
sequenter mundum fuisse ab æterno: quoniam, ut
ait beatus Augustinus quinto libro de trinitate Dei,
Deus non dicitur dominus creatura nisi creatura cœ-
xistat serva. Vnde dicit ibi sic: *Nam si dominus non*
dicitur nisi cùm habere incipit servum, etiam ista ap-
pellatio relativa, ex tempore est Deo. Non enim semp-
iterna est creatura cuius ille est dominus. Ecce domi-
num esse non sempiternum habet, ne cogamur etiam
creaturam sempiternam dicere: quia ille sempiternus
non dominaretur nisi etiam ipsa sempiternè famularer-
tur. Sicut autem non potest esse servus qui non habet
dominum, sic nec dominus qui non habet servum.
Hæc Augustinus. Ex quibus patet, secundum Au-
gustinum, quòd qui ponit Deum fuisse Dominum
ab æterno, cogitur ponere creaturam fuisse ab
æterno. Præmissa autem assertio & declaratio Do-
mini Iohannis expressè ponit quòd Iesus, in quan-
tum Deus, habuit regnum & universale rerum do-
minium ab æterno. Et per consequens ponit Iesum
fuisse Dominum ab æterno: quia habens regnum
& dominium regni dicitur dominus illius regni,
quia esse dominum alicujus rei non est aliud quàm
habere illam rem & ejus dominium. Quare prædi-
cta assertio & declaratio videbatur implicite pone-
re mundum fuisse ab æterno. Item quia in decla-
rando modum quo Christus fuit secundum ipsum
Rex & Dominus in temporalibus, dicit quòd Chri-
stus, in quantum homo, non renuntiavit nec po-
tuit renuntiare regno & dominio temporalium,

& quòd si fecisset, contra ordinationem patris fecisset. Ex quibus sequi videbatur quòd Christus secundum Dominum Iohannem non fecerit nec facere potuerit quòd alios facere docuerat, & quòd si fecisset, contra patris ordinationem fecisset, quia ipse docuit alios renuntiare regno & dominio temporalium, sicut patet Matthæi xix. capite: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Cui autem consulitur ut omnia sua vendat & pauperibus distribuat, directè consulitur ut dominio temporalium renuntiet. Et Lucæ XIV. capite: *Omnis ex vobis qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Si ergo Christus non renuntiavit nec renuntiare potuit regno & temporalium dominio, & si fecisset, contra patris ordinationem fecisset, videbatur sequi quòd Christus non fecerit nec facere potuerit quòd aliis faciendum esse consuluit & admonuit, & quòd si fecisset, contra patris ordinationem fecisset. quòd videbatur directè impingere in doctrinam evangelii & vitam Christi. Et ideo propter præmissa & plura alia brevitatis causa dimissa, considerando causas & modum ponendi quòd posuit Christum Regem & Dominum omnium temporalium, videbatur ille articulus erroneus, specialiter quoad fratres ordinis beati Francisci, quibus illa littera mittebatur & dirigebatur.

Secundus articulus est, quòd Christus, in quantum homo viator, per successum temporis habuit & acquisiuit sibi in speciali dominium proprium & immediatum vestimentorum, alimentorum, calceamentorum, & loculorum, partim collatione fidelium, partim per emptionem.

Tertius articulus est, quòd Christus nunquam consuluit Apostolis nec suis discipulis abdicationem

proprietatis & domini omnium rerum temporalium.

Ad istos duos articulos respondet frater Franciscus prout continetur & habetur in responsione & declaratione facta ad litteram missam Perpinianum.

Quartus articulus est, quod Christus non dedit aliam legem vivendi Apostolis quam Discipulis, per discipulos intelligens omnes fideles Christianos; sicut manifestè patet per ejus exempla, in quibus inter discipulos numerat Ioseph ab Arimathia, qui erat dives in speciali, & Martham & Mariam, quæ secundum ipsum erant dominæ castri,

Reliqua desunt.

